






Ernst Schütz
1932.

JO. LVD. WALTHERI

LEXICON DIPLOMATICVM.

LEXICON DIPLOMATICVM,

ABBREVIATIONES *SYLLABARVM ET VOCVM*

in

DIPLOMATIBVS

et

CODICIBVS

a

SECVLO VIII. AD XVI. VSQVE OCCVRRENTES

exponens,

IVNCTIS

ALPHABETIS ET SCRIPTVRAE

SPECIMINIBVS INTEGRIS.

Studio

IOANNIS LVDOLFI VVALTHERI,

S. R. MAIEST. M. BRITANN.

in Archiuo Electorali a Secretis.

CVM PRAEFATIONE

IOANNIS HENRICI IVNGII,

Secretarii Regii in Universitate Göttingensi.




G. Eichler del. Jac. Andr. Friedrich Sculps.

Sumptibus Gaumianis

Ulmae 1756.



BIBLIOPOLÆ
ACADEMIÆ GOTTINGENSIS
FRATRES SCHMIDII
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.



uanquam praeſtantiſſimi huius Lexici argumentum ex praemiſſo titulo iam commode intelligi poſſit, vinoque vendibili, vt aiunt, neutiquam hedera opus ſit; haud ſuperuacaneum tamen fuerit, de operis huius inſtituto atque conditione nonnulla in medium adferre, quae, uſquedum iuſtae epulae adponi poſſint, promulſidis locum obtineant.

In hocce Lexico Latinae ſcripturae compendia, quae hodie *abbreuiaturas* vocamus, dilucide & perſpicue explicata ſunt; quae duplicis generis eſſe conſtat, cum Veteres alia ſcribendi ratione in libris & Codicibus manuſcriptis, alia in diplomatibus chartisque vſi ſint: pleraque autem verba & ſyllabas ita miris obſcurisque figuris nec non ſignis expreſſerunt, vt ſubinde vel exercitatiſſimo moleſtiam adferant, crucemque figant. Huc refer omnes illas *variantes lectiones*, quarum mole hodie premimur, & in quibus interpretandis eruditi in tot contrarias diſtrahuntur ſententias.

Ne vero per futura ſaecula eiusmodi lites traherentur, eruditiſſimus dominus Auctor de vtriusque ſcripturae abbreuiaturis enodandis quam maxime ſolicitus fuit, tantumque abeſt, vt quis tam exactam adhuc omnibusque numeris abſolutam harum ſiglarum enarrationem in dias luminis auras miſerit, vt ne aliis quidem occaſio ſuppeditata fuiſſe videatur, tot *αὐτόγραφα* chartas-

que veteres, quas hicce labor innumeras fere efflagitat, manibus verſandi. Nemo hinc eſt aequus rerum aeſtimator, qui inſignem vſum exinde in litteratorum rempublicam redundantem non facile perſpiciat. Ita enim antiquos libros & authenticas Tabulas, quas vix e millibus vnus ſenſu aſſequitur, facile, niſi mens omnino laeua fuerit, intelligere, ac latentes in iisdem theſauros in vſus noſtros vertere poterimus.

Quam multos quantiuis pretii Codices & Documenta in archiuis Principum, illuſtrium Perſonarum tabulariis, Monaſteriorum bibliothecis, nec non Priuatorum ſcriniis atque ciſtis caliginoſa nox premit: quae, quod iſtorum vſus, foliorum Sibyllinorum & hieroglyphicorum inſtar, haut pateat, puluери blattisque relinquuntur. Via autem ſic emunita, exemplisque commonſtrata, Monachi & alii horum talium κειμηλίων poſſeſſores, iique, quibuscum eadem ad inſpiciendum communicantur, bona ſaeculi noſſe & cognitis, quaeſtu longe vberrimo, vti diſcent.

Ad clauſa & faſtidita penetralia iam clauem porrigit praeſens Lexicon diplomaticum, quod, tanquam Phidiae aliquod ſignum, omnium procul dubio eruditorum admirationem merebit, quodque vel eorum, qui ſatis perfunctorie hanc eruditionis partem callent, oculos animosque in ſe conuertet.

Contentae in hocce Opere abbreuiaturae prioris Claſſis, de qua ſupra dictum eſt, deſumtae ſunt tum ex veris ac genuinis autographis Imperatorum, Regum diplomatibus, Papalibus bullis, proceſſibus Rotae Romanae, Reſponſisque iuridicis: tum ex Epiſcoporum, Principum, Comitum, Monaſteriorumque chartis, quales in omnibus Europae regnis fieri conſueuerunt.

Secundae Claſſis abbreuiaturae hauſtae ſunt ex Codicibus tam membranaceis quam chartaceis, & quidem ex theologicis, iuridicis, medicis, philoſophicis & aſtronomicis Codicibus, Liturgiis, Miſſalibus, Calendariis, librisque rationum: easque omnes diligentiſſimi Auctoris manus ad primigenia exempla improbo labore deſcripſit, atque earundem veram vim & ſignificationem edocuit.

Quod ad tempus attinet, quo quaeuis abbreuiatura in vſu fuit, vtriusque generis exempla, puta Diplomatum & codicum, ex ſaeculo VIII. vſque ad XVI. collecta ſunt; licet ad hocce tantum abbreuiaturae in Notariorum inſtrumentis

mentis obuenientes pertineant, peruulgatis iam reliquis ſcribendi modis, qui paſſim in huius ſaeculi Codicibus MSS. obſeruantur.

Vt vero protinus in propatulo eſſet, cuinam tempori hoc vel illud ſcripturae compendium proprium ſit, ad primae Claſſis abbreuiaturas ipſe annus, quo documentum prodiit, adſcriptus eſt: in abbreuiaturis vero ſecundae Claſſis, ſiue Codd. MSS. duntaxat ſaeculum, in quo Codex ſcriptus eſt, (quando ſcilicet hoc iam vel ipſe Codex, vel Scriptor eiusdem monuit, vel alia manus antiqua indicauit,) exſignatum eſt: adiectis tamen litteris *i. m. f.* ſignificantibus *initium*, *medium* ac *finem*. Et licet in quam plurimis Codicibus ipſe Scriba annum cum die, quo vltima manus operi data eſt, in fine ſubnotauit, attamen (vt liquido conſtaret, quae abbreuiaturae ex diplomatibus & chartis, quaeque ex Codd. MSS. hauſtae ſint,) annus haud adiectus, ſed ſaeculum duntaxat, adpoſitis litteris *i. m.* vel *f.* laudatum eſt. Sin vero neque ab ipſius codicis exaratore, neque alia veteri manu, aetas ſcriptionis patefacta eſt, ope artis criticae eruendum fuit, ad quodnam ſaeculum haec vel illa ſcribendi *ἐπιτομὴ* pertineret. Aeuum hocce pacto exploratum abbreuiaturis (ſed ſine litteris *i. m. f.*) ſubiunxit *ὁ πάνυ* WALTHERVS.

Diſpoſitio ipſius operis ita ordinata eſt, vt quaeuis linea in quauis tabulae columna quaternas res ſiſtat. I. Figuram abbreuiationis ad fidem archetypi accuratiſſime delineatam. II. Litteras in ipſa figura latentes perſpicue expreſſas. III. Integram vocem, quam figura refert, omnibus litteris exaratam, vt vera figurae ſignificatio in aprico ſit. Et IV. Tempus, quod eiusmodi aenigmata ſibi ſpeciatim ſepoſuit.

Quaeret fortean eruditus Lector, num omnia ita certa ſint, vt nullum dubium ſuperſit, collectas figuras id ipſum innuere, quod clariſſimus Auctor tradidit, earundemque explanationem a Scriptoris antiqui mente haud alienam eſſe? Scias ergo, caute Lector, vigilantiſſimum Auctorem hanc ſibi perpetuam legem dixiſſe, ne prius de figura quadam, aut eiusdem abbreuiatura certi quid pronunciaret, niſi eandem plus vice ſimplici in eodem diplomate vel Codice inuenerit, ipſique ex verborum cohaerentia & aliunde conſtiterit, non alium, praeter quem adpoſuit, figurae ſenſum eſſe. Ex quo ſimul adparet, hoc Lexicon neutiquam purum putum mechanicum opus eſſe, quod ſola figurarum & vocabulorum delineatione conſtet; ſed potius pro frugifero & quam maxime fructuoſo

promptuario, cuius pars nulla inculta mansit ac deserta, censendum esse. Quanto autem dispectu, ad verum & genuinum sensum cuiusuis figurae indagandum, opus fuerit, quam ferrea diligentia, solicitoque πρόσω καὶ ὀπίσω, penes aequum Iudicem arbitrium esto.

Quicunque ergo de vera expositarum figurarum significatione dubitabunt, consulant, si commodum est, diplomata Codicesque MSS. a saeculo VIII. vsque ad XVI. rigidissima ad illos censura aenigmatum enodationes examinent, habituri deinde profecto, cur litteratissimo WALTHERO non tantum vt magni operis patratori, sed etiam vt desperati laboris victori ex animo gratulentur.

Haud simus ferendi, si superbe iactemus, omnes quotquot sunt, quotque fuerunt abbreuiaturarum species, nulla praetermissa, in hocce Lexico occurrere; id tamen ex certa scientia profitemur, laudatissimum huius Lexici Auctorem, licet iam opus ad vmbilicum perductum esset, per multos adhuc annos innumera diplomata omnisque generis Codd. MSS. diurna nocturnaque manu eo consilio versauisse, vt spicilegia post messem institueret; vix tamen in vnam alteramue figuram, vel scripturae compendium incidisse, quod collectioni amplissimae nondum fuisset insertum. Fidem nobis habebunt, qui nouerunt, Auctorem vltra viginti annos perpetuam rei diplomaticae operam nauasse, nullamque occasionem abbreuiaturas colligendi & interpretandi e manibus amisisse. Ne tamen opus nitidissimum plus iusto grandius fieret, aliquot chiliades abbreuiationum faciliorum, quas nemo non intelligit, prouida WALTHERI diligentia missas fecit.

Seriem abbreuiaturarum ordine alphabetico dispositarum excipiunt signa, quae non inflexis litteris, sed longe aliis figuris expressa sunt, innuentibus tamen syllabas & integra veterum librorum & diplomatum vocabula, e. g. particulas *con, com, contra, esse, est, &, etcetera, etiam* &c. Deinde characteres numerorum exhibentur & notae siue signa Kalendariorum, interpunctionum, commatum, punctorum, notarum, paragraphorum, asteriscorum, citationum marginalium, ponderum & mensurarum, cum locupletissimo in haecce commentario.

Accedit insuper huic Lexico res iucundissimi argumenti, nimirum *Notae Musicae*, quibus antiqua faciendorum & canendorum modorum ratio commonstratur, ceu eadem a saeculo XI. in Ecclesiis obtinuit & primitus sine lineis,

per


per peculiares tantum characteres ſyllabis & vocibus Textus adſcriptos; poſtea vero per quatuor vel quinque lineas, propoſita fuit. Quantum equidem ſcimus, nemo has *Notas*, praeter NICOLAUM STAPHORSTVM in Hiſt. Eccl. Hamb. dipl. Tomo III. Tab. II. p. 337. ſeq. ſibi excutiendas ſumſit. Caue vero exiſtimes, Virum Clariſſ. hoc, quidquid eſt argumenti, exegiſſe, vt potius primas duntaxat lineas duxiſſe, & intra primordia ſubſtitiſſe, videatur, ditiſſima meſſe WALTHERO noſtro relicta, qui omnes artis ſuauiſſimae modos numerosque feliciter tradidit, quatenus ſcilicet eadem punctis & lineolis conſtat, quae vel totam & dimidiatam menſuram, quae noſtratibus *Tactus* vocatur, denotans, vel characteres, qui duas, tres, pluresue *Notas* ſimul comprehendunt, ſignificant, prout illi genio ſaeculi accommodati fuere, addita atque ex hodiernis *Notis* facta explicatione. Neque deſiderari paſſus eſt Ampl. Auctor interualla, amabiles νόμους, quibus canticum temperatur, longiores & breuiores curſus vnica ſyllaba comprehenſos, iique ſecundum *Notarum* numerum in ordinem redacti ſunt; vt adeoque antiquitatis amantes non poſſint non veterem Μουσικὴν eiusque compoſitionem facile intelligere ac cognoſcere; ſiquidem haec collectio decem duodecimue Tabulas implebit, adductis in Scripturae Speciminibus integris *Choralibus*, verſibus & cantilenis.

Operae autem pretium fuerit, nonnihil de huius Lexici vſu in medium adferre, isque ſequenti ratione inſtituendus eſt. Si tibi diplomata codicesue caſcos verſanti verbum quoddam haud in procliui eſſe videatur, non eſt, cur ſtatim vadimonium deſerendum eſſe putes, ſed potius ſolerter rimari oportet, quaenam litterae obſcuro eiusmodi vocabulo inſint. Deinde id genus litterae in ſecunda arctiori columna, veteribus figuris ſubiuncta, ordine alphabetico euoluendae ſunt. Litteris proinde eadem ſerie, vt in contorto vocabulo occurrunt, repertis, non poteſt non in eadem linea & in tertia minori columna obuia vox ipſa luce clarior fieri. Ne fuſtra haec dixiſſe videamur, ſuccenturiabimus unum alterumque exemplum. Finge, veteris chartae initium ita ſe habere: *Jnoie ſce & idie tnit di prs & fii & ſps ſci*, ſiue in vetuſto codice ſequentem in modum legi: *Qm ſuu bom i reb e itia colere & ſua cuiq ia ſuae & i ſbditis n ſine qd ptatis eſt fi, ſ qd equ c ctodi:* nihil aliud requiritur niſi vt modo ſupra propoſito Lexicon perluſtres, quod nodum Gordium ita ſoluit: *In nomine ſanctae & indiuiduae trinitatis, Dei patris, & filii & Spiritus Sancti.* Alterius exempli ſenſus eſt hic: *Quoniam ſummum bonum in rebus eſt iuſtitiam colere & ſua cuique iura ſeruare, & in ſubditis non ſinere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod aequum eſt cuſtodiri.* Duo tamen adhuc notanda ſunt I. tuarum partium eſt, ne oculos ad

litteras

litteras tantum conuertas, ſed ſimul apices & extremitates ſigni, quo vocabulum quoddam innuitur, impenſe circumſpicias. Quemadmodum enim e. g. octodecim voces, quae unica littera *i* comprehenduntur & ſex per *qm* denotatae in hocce Lexico occurrunt, compendium tamen ſupra adductum ad vocem cohaerentiamque continuo aſſequendam vehementer accomodatum fuerit, nec eſt, cur diu torquearis, vtrum τὸ *i* ſignificet *ibi, id eſt, igitur, in*, & quae ſunt alia; vel illud *qm* ſibi velit *quantumcunque, quidem, quoniam*, reliqua. Quandoquidem vero II. hocce in Lexico omnes caſus, genera, tempora &c. contractarum vocum haud adſeruata ſunt (nimiam enim libri molem ſumtusque damnoſos omni ſtudio vitauimus) aequi bonique conſules Lector beneuole & erudite, nonnihil tuismet cogitationibus & meditationibus relictum eſſe. Etenim ſi fortean verbum illud, in quo mens tua verſabitur, cum omnibus litteris & ſyllabis non illico obuiam concurrat, aderit tamen, velut e machina, alius Caſus vel Genus &c. quae verum obſcurae vocis ſenſum luculenter declarabunt. Sic in Lexico praeſenti non expreſſa eſt *fii*, filii, cum tamen haud exulent *fi* filius, *fie*, filiae, *fim* filium, & *fio* filio. Ex quibus facile intelligitur (ne quid iam de contextu magnarum difficultatum remedio praeſtantiſſimo dicamus) τὸ *fii* hoc loco ſignificare filii, non autem *fieri*. licet & ipſum in ἐπιτομὴν redactum antiquitus per *fii* innutum eſſe, exploratum ſit. Denique huic operi immortale decus conciliant Alphabeta abſolutiſſima & integra ſpecimina ſcripturae ex diplomatibus, chartis & Codicibus omnis aeui deſumta, non ſolum accommdatiſſima ad veram aetatem cuiusuis Codicis cognoſcendam, ſed & ad rectum iudicium de cuiuscunque Diplomatis & veterum Documentorum fide ferendum. Plura de inſigni huius Lexici praeſtantia & vtilitate dixit celeberrimus KOELERVS, Hiſtoricorum noſtra aetate facile princeps, in praefatione huic operi praemittenda. Totum opus, a capite ad calcem, tabulis aeneis conſtat, quod tanta veterum & inſolitarum figurarum multitudo non aliter exſignari potuit. Licet vero hocce inſtitutum quam maximos ſumtus efflagitet, omnia tamen ita prouiſa ſunt, vt operi iam inchoato faſtigium, fauente Deo, imponi poſſit. Ne vero Priuati a coëmendo hocce theſauro arceantur, bibliopolae impenſas ſuppeditantes curabunt, ut & aequiſſimo pretio proſtet, & opus in duas partes diſtribuatur. Quaeuis praeter propter centum viginti tabulas in aes inciſas continebit, & prior quidem abbreuiaturas a littera A. vsque M. poſterior a littera N. vsque Z. cum omnibus ſupra laudatis figuris, numeris, alphabetis & integris ſcripturarum ſpeciminibus. De ſumma Chalcographorum diligentia neutiquam dubitandum eſt, quandoquidem ſolertiſſimus Auctor non modo ipſe omnia delineauit; ſed & prima illorum ſpecimina omni cura atque ſtudio perluſtrauit, vt adeoque vix vllum σφάλμα irrepere poſſit.






ÆQUO ET ERUDITO LECTORI

S. P. D.

JOANNES HENRICUS JUNGIUS.



uum haud poſtrema ſit ſæculi noſtri felicitas, quod Hiſtoriam (quæ Romuli Nepotum diſertiſſimo *α*) eleganter dicitur *teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, & nuncia vetuſtatis*) tum a tenebris, tum ab ineptis fabulis liberatam magis magisque certam reddat, ac in clara luce reponat: nemo eſt paullo eruditior & æquus rerum æſtimator, qui inficias eat, inter ceteras venerandæ antiquitatis reli-

α) *de Orat.* libro II, 9.

reliquias monumenta illa vetera, quæ *Diplomata* vocamus, ſummo in pretio habenda, auroque contra cariora reputanda eſſe. Quum enim haec ſint litterae auctoritate publica confectae, ſignis ſolemniter conſignatae, varia jura atque priuilegia continentes, longe profecto majorem fidem merentur, quam hiſtorici, privatæ ſortis homines, qui plerumque aut nimis creduli aut nimis indiligentes ſunt, aut partium ſtudiis abrepti ſe ligni inſtar, nervis alienis mobilis, duci ſinunt. Econtrario Diplomata rerum geſtarum ſeriem nude & aperte declarant, adeoque omni fide digniſſima ſunt. Hinc (ceu praeclare obſervat Rever. Fr. Theodericus Ruinart α) *nata conſuetudo, ut ſi quis modo Hiſtorias, maxime monaſteriorum & aliarum eccleſiarum, urbiumve, aut provinciarum, immo & familiarum ſcribere aggrediatur, neceſſe ſit, ſi modo ſibi haberi fidem velit, ut acta vetera & chartas authenticas ad calcem libri repraeſentet, quae monumenta merito* Probationum *titulo decorantur, quod absque illis eorum, quae narrantur, fides videatur vacillare.* Diplomata enim rerum medio aevo & ſubſequentibus temporibus geſtarum veras & genuinas cauſſas memoriae produnt, quas Annalium conditores vel ignorant, vel amore in ſuos & odio in exteros praetermittunt: Diplomata juris Gentium conſuetudinarii & pactitii teſtes incorruptiſſimi ſunt, omnique exceptione majores: Diplomata temporum rationes, mirum in modum nonnunquam turbatas, dubiisque ſcriptorum verbis obſcuratas, ita in promtu ponunt, ut res diſputatione amplius non egeat: Diplomata locorum veros ſitus, fata & mutationes in apricum proferunt: Diplomata ſummorum Imperantium jura ab inſidiis et inſultu malevolorum vindicant: Diplomata avitam Ordinum Provincialium libertatem contra Gnathones aulicos egregie tuentur: Diplomata Eccleſiarum Monaſteriorumque fundationes, cum annexis juribus ac privilegiis, diligenter referunt: Diplomata familiarum illuſtrium origines, Imperatorum, Regum, Principum, Comitumque ſeriem; agnatorum, cognatorum, affinium nomina, arma gentilitia, & quicquid hujus argumenti eſt, ſeris nepotibus commemorant: Denique, ut paucis omnia complectar, omne jus ſacrum atque profanum, ſacros, civiles & militares ritus mirifice illuſtrant, & plena luce ſuffundunt. Quae cum ita ſint, non tantum rei litterariæ, verum etiam bono publico, tam utilia ſunt quam quae utiliſſima. Ita nos cenſemus, & ita quoque judi-

α) In Præfat. æterno Mabillonii Operi de re Diplomatica præmiſſa.

judicat Vir ſummus Iohannes Mabillonius α) nec non immortale litterati orbis decus Godefridus Guilielmus Leibnitius β).

Nemo autem facile non videt, nos hic veras & ſinceras Tabulas innuere, non ficta & doloſe ſuppoſitas, quales omni aevo maleferiatorum tenebrionum πανεργία in medium adtulit, & unde odium ipſius rei, quod hominum eſſe debebat. Illis ſuum pretium conſtabit, donec bonarum artium eſt memoria, erit autem ſempiterna; hae dignae ſunt, quae cum auctoribus ſuis in ſolas & ſitu & coelo deformes terras amandentur. Nec eſt, ut ideo quis, quod utique quamplurima ſpuria occurrant diplomata, omnibus priſci aevi genuinis chartis fidem deneget, harumque optimos confectores ſugillet; Namque id quin ſit maxime frivolum & abſurdiſſimum argumentum, prorſusque ἀσυλλόγιςος ὁ συλλογιςμὸς, etiam non lynceus facile viderit. Stultitia quidem fuerit credere, cuncta, quae circumferuntur, Diplomata eſſe bonae notae; at qui ea, quae piſce ſaniora ſunt, ſuſpecta habet, totique ita antiquitati diplomaticae illaetabile bellum indicit,

interdicto huic omne adimat jus
Praetor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

Sunt utique, ſunt ſuppoſititia Diplomata (quid enim aliud comprobant *Bella* illa *Diplomatica*, quae aeterni nominis Viri Io. Petrus de Ludewig γ) & Io. Godofredus de Meiern δ) luculenter deſcripſerunt ?) nulla tamen jam pernicies a monſtris hiſce atque prodigiis comparabitur, quum ope artis criticae, quae hodie florentiſſima eſt, & ſpeciatim *Artis Diplomaticae* nomine inſignitur, falſa a veris ſecernere liceat; ne pro carbonibus nos theſauros inveniſſe putemus, aut bona fide fallamus & fallamur.

Inter ceteros hac in re nobis multa cum luce facem praetulerunt praeſtantiſſimi & S. R. Viri Iohannes Mabillonius ε) & Godofredus Abbas Gottwicenſis

α) *De Re Diplomatica* libro I. cap. I. lit. c. & in *ſupplem.* cap. I. §. I.
β) In Præfatione *Codici Iuris Gentium diplomatico* præmiſſa. Hannoveræ 1693.
γ) In ampliſſima pariterque doctiſſima præfatione Tomo I. *Reliqq. Mſſ. atque Diplomatum omnis ævi* præmiſſa. Halæ 1720.
δ) In *Præfat. ad Tom. III. Act. Pacis Weſtphalicæ public.* Hannoveræ 1735.
ε) In *libris VI. de Re Diplomatica: in quibus* (adjicere juvat totum titulum libri jam dudum rari & cari) *quidquid ad veterum Inſtrumentorum antiquitatem, materiam, ſcripturam & ſtilum; quidquid ad ſigilla, monogrammata, ſubſcriptiones ac notas chronologicas; quidquid inde ad antiquariam, hiſtoricam, forenſemque diſciplinam pertinet, explicatur & illuſtratur. Accedunt Commentarius de antiquis Regum Francorum palatiis: Veterum ſcripturarum varia ſpecimina, tabulis LX comprehenſa. Nova ducentorum, & amplius, monumentorum collectio. Opera & ſtudio Domini* Johannis Mabillon, *Preſbyteri ac Monachi Ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri. Editio ſecunda ab ipſo auctore recognita, emendata & aucta. Luteciæ-Pariſiorum, ſumtibus Caroli Robuſtel, via Jacobea, ad inſigne arboris Palmæ. M.DCC.IX. Cum privilegio Regis & ſuperiorum facultate.*

ſis α) clariſſima Ordinis, qui a S. Benedicto nomen ducit, decora, & ſidera, quosque ita paſſibus æquis ſecuti ſunt Celeberrimi Viri, Daniel Eberardus Baringius, β) Ludovicus Antonius Muratorius, γ) Chriſtianus Henricus Eckhardus, δ) & noviſſime Johannes Heumannus; ε) ut de eorundem laudibus ſilere melius eſſe putemus, quam parum dicere.

Quemadmodum vero vix ulla res majoris momenti datur, quæ non quibusdam difficultatibus circumſepta eſt, ita etiam in legendis & intelligendis Diplomatibus antiquis magnæ, immo maximæ, difficultates ſubinde exoriuntur. Pariunt has plurimam partem litterarum & verborum compendia, quæ Romani *Notas*, *ſigna*, & *ſiglas:* ζ) Græci σημεῖα vocabant, quorumque apud plerosque Populos frequentiſſimus fuit uſus, ceu libro jam laudato prolixe & erudite oſtendit doctiſſimus Nicolai. Non attinet jam, de ipſo artis διὰ σημείων ſcribendi inventore multis diſputare, de quo certant vehementer Grammatici & adhuc ſub judice lis eſt. Rem totam, ſi Diis placet, conficere videtur Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus η) verbis: *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus eſt notas, ſed tantum præpoſitionum. Poſt eum Tertius Perſannius, Philargius, & Aquila libertus Mæcenatis, alius alias addiderunt. Deinde Seneca, contracto omnium digeſtoque & aucto numero, opus effecit in quinque millia* ϑ). Quum vero hæc a proceribus rei litterariæ, qui ſagacius odorantur, recte in dubium

α) Jn ſplendidiſſimo omneque in ævum victuro opere, quod ita inſcribitur: *Chronicon Gotwicenſe, ſeu Annales liberi & exempti Monaſterii Gotwicenſis ordinis S. Benedicti inferioris Auſtriæ, faciem Auſtriæ antiquæ & mediæ usque ad noſtra tempora; deinde ejusdem Monaſterii fundationem, progreſſum, ſtatumque hodiernum exhibens. Ex Codicibus antiquis, membranis & inſtrumentis tum domeſticis, tum extraneis depromptum: Pro quorum faciliori intellectu Tomus prodromus de Codicibus antiquis manuſcriptis: de Impp. ac Regum Germaniæ Diplomatibus: de eorundem palatiis, villis & curtibus regiis, atque de Germaniæ medii ævi pagis præmittitur, & ea, quæ Cæſareorum, Regiorumque Germaniæ Diplomatum antiquitatem, materiam, ſtylum, ſcripturam, monogrammata, ſigilla, ſubſcriptiones, notasque chronologicas, atque ad Palatiorum & villarum Regiarum, Pagorumque Germaniæ mediæ ſitum pertinent, explicantur, & adjectis ſpeciminibus, tabulisque æri inciſis illuſtrantur. Tomus I. Typis Monaſterii Tegernſeenſis O. S. Benedicti*, 1732.

β) Jn *Clave Diplomatica*, Hannoveræ 1737.

γ) Jn *Diſſertatione de Diplomatibus & Chartis antiquis dubiis aut falſis.* Vide ejus *Antiquitates Italias medii ævi.* Tom. III. pag. I. ſeq. Mediolani 1740.

δ) Jn *jntroductione in Rem Diplomaticam præcipue Germanicam*, Jenæ 1742.

ε) Jn eruditiſſimo bonæque frugis pleniſſimo libro, quem inſcripſit: *Commentarii de re diplomatica Jmperatorum ac Regum Germanorum inde a Caroli M. temporibus adornati.* Norimbergæ, 1745.

ζ) De Diſcrimine Siglarum & Notarum ex profeſſo agit Johannes Nicolai in *Tractatu de Siglis veterum* cap. II. p. 5. ſeq. Edit. Lugduni Batav. 1703.

η) *Originum ſive Etymologiarum* libro I. 21. in Dionyſii Gothofredi *Corpore Auctorum Latinæ Linguæ*, p. 836.

ϑ) Has *Tironis & Senecæ*, ut vulgo habentur, *Notas* ære ſculpto expreſſas æterno ſuo omnique ære perenniori Inſcriptionum antiquarum Corpori ſubjecit Janus Gruterus. Edit. Amſtelod. A. MDCCVII. Tomo II. in f

bium vocentur α), licet ipſi ultra meras conjecturas nihil proferant, nos nihil certi in re incerta & maxime ancipiti audemus definire. Si dicas (ſunt enim qui hoc aſſerunt) compendia originem ſuam debere, vel Ennio, vel Xenophonti, vel ipſi Adamo, adfirmabis, quod negant alii, utique quod eſt incertiſſimum. Id extra dubitationis aleam poſitum eſſe arbitramur, artem per compendia, ſive, ut hodie loquimur, per *Abbreviaturas* ſcribendi, ut ut antiquiſſima & forte ad Jovem adhuc imberbem referenda ſit, inventis demum litteris excogitatam & a neceſſitate ipſa, plurimarum artium inventrice, ſuppeditatam eſſe, ut hoc modo celeriter ea exciperentur, quæ ob linguæ volubilitatem integris litteris capi non poterant. Sic Plutarchus in vita Catonis Minoris β) perhibet, unam Catonis orationem exſtare, quod Conſul Cicero expeditiſſimos ſcribas ante docuiſſet notas, quæ minutis & brevibus figuris multarum vim litterarum complectebantur, inde alium alibi paſſim diſpoſuiſſet in Curia. Non intercedo itaque, quo minus hi tales a *Notis* dicti ſint *Notarii*; licet etiam, quod exiſtimat Claudius Salmaſius γ), ideo vocati *Notarii*, μηνύσεις, notarias, ac breves conficiebant, quos ad conſilium referebant. Notaria quippe, vel notoria idem quod brevis, vel indiculus, ἀναφορὰ, μήνυσις. Et de his Notariis haud dubie intelligendus eſt Ælius Lampridius, dum inquit δ): *Eum Notarium, qui falſum cauſæ brevem in conſilio imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut nunquam poſſet ſcribere, deportavit.* Nihil tamen vetat, quod & probat Salmaſius, Notarios a notis nomen accepiſſe, & a ſignis σημειογράφους, a celeritate ταχυγράφους ſæpe numero appellatos fuiſſe ε). Erantque inter hos, qui orationem tam celeriter excipere poterant, ut ne unum quidem verbulum rapidam atque rapacem eorundem manum effugeret; quin ipſum loquentem manu citata præveniebant. Hinc M. Manilius appoſite canit ζ):

Hic

α) Vide V. Cl. Petri Burmanni præfationem, qua Gruterianum Inſcriptionum Theſaurum exornavit. in f. ubi farraginem illam paullo poſt Antoninorum tempora confectam eſſe, pulchre conjicit.

β) Vide Chæronenſis vitas parallelas, quas recenſuit Auguſtinus Bryanus, Vol. IV. p. 238. edit. Londini 1723.

γ) Jn *Diſſertatione de Secretariis*, quam Albertus Henricus de Sallengre *Novo Theſauro Antiquitatum Romanarum* Tomo II. p. 661. recudi curavit. Hagæ Comitum 1718.

δ) Jn vita Alexandri Severi, cap 28. *Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum* Tom. I. p. 928. edit. Lugd. Bat. 1671.

ε) Conf. Jo. Andreæ Eſchenbachii *Diſſertatio de Scribis vererum*, in Joannis Poleni *utriusque Theſauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque novis Supplementis*, Vol. III. p. 857. &c. Venetiis 1737.

ζ) *Aſtronomicōn* libro IV. v. 197. ſeq. pag. 196. edit. Richardi Bentleii, Londini 1739.

Hic & ſcriptor erit velox; cui littera verbum eſt
Quique notis linguam ſuperet, curſimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

nec non Martialis α)

Currant verba licet, manus eſt velocior illis:
Nondum lingua ſuum dextra peregit opus.

Plenius & elegantius hanc ſtupendam artem deſcribit Auſonius β) ideoque ejus verba, etſi compluſcula, hic adſcribere non tædet:

Puer notarum præpetum,
Sollers miniſter advola.
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta ſingulis,
Vt una vox abſolvitur.
Evolvo libros uberes,
Inſtarque denſæ grandinis
Torrente lingua perſtrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
Nec occupatur pagina.
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Quum maxime nunc proloquor
Circumloquentis ambitu,
Tu ſenſa noſtri pectoris
Vt dicta jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dediſſet mens mea,
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loqventem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo

Exer-

α) *Epigrammatum* Libro XIV, 208.

β) *Epigrammat.* CXLVI. Cum notis Jacobi Tollii, Amſtelodami 1671. Conf. Joannes Brodæus *Miſcellaneorum* libro IV, cap. 9. in Iani Gruteri *Theſauro Critico*, Tomo II. pag. 514. Francof. 1604.

Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum abſolverit?
Doctrina non hæc præſtitit:
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deusque donum tradidit:
Quæ loquerer, ut ſcires prius:
Idemque velles, quod volo.

Præterea ex Modeſtino Jureconſulto α) diſcimus, notis olim excipi ſolita acta, quæ apud Præſides magiſtratusque habebantur; ita enim ait: *Eos qui notis ſcribunt acta Præſidum, Reipublicæ cauſa non abeſſe certum eſt.* Talesque haud vilis conditionis, ſed ſummis aliquando et ampliſſimis honoribus ornatos fuiſſe, patet ex inſcriptione Romana apud Gruterum β)

POSTVMIANVS. V. CL. FILIVS
MAGNIFICI. VIRI. MARINIANI
PRAEFECTI. PRAETORIO
ET. CONSVLIS. ORDINARII
QVAESTOR. CANDIDATVS
PRAETOR. VRBANVS. TRIBVNVS
ET. NOTARIVS. PRAETORIANVS
PRAEFECTVS. VRBI. SECVNDO
CONSVL. ORDINARIVS. QVOS
TANTOS. AC. TALES. HONORES
PRIMO. AETATIS. SVAE. FLORE
PROMERVIT.

Licet vero ars illa per litterarum compendia ſcribendi, tum ab inventione, tum ab inſigni utilitate, quam maxime commendanda ac prædicanda ſit, peperit tamen poſteritati innumeras fere difficultates, quod veteres pleraque verba & ſyllabas ita miris ductuum mæandris atque ſinuoſis inflexionibus exprimebant, ut non Accurſius ſolum viſis hiſce ingemiſceret:
hæc

α) in l. 33. §. I. *ff. ex quib. cauſ. major.*

β) *Corp. Inſcript.* Tomo I. pag. 464. n. 8. Conf. jam laudata Eſchenbachii *Diſſert. de ſcribis,* ſub f. nec non Ludovici Antonii Muratorii *Diſſertatio De Notariis*, quæ exſtat *Antiquit. Italicarum medii ævi* Tomo I. pag. 659. ſeq. edit Mediolan. A. 1738.

hæc Græca ſunt, quæ nec legi nec inteligi poſſunt; ſed & exercitatiſſimi plus ſemel conqueſti ſint, ſibi in his legendis magnam moleſtiam adferri, crucemque figi. Huc refer omnes illas *Variantes lectiones*, quarum mole hodie non tam premimur, quam fere opprimimur, & in quibus interpretandis eruditi in tot contrarias diſtrahuntur ſententias, ſæpiusque pro veris & unicis lectionibus portenta opinionum ſuppeditant; ceu egregie oſtendit Reverendiſſimus Præſul Gottwicenſis α), cujus verba digna ſunt, quæ referantur: *Enatæ*, inquit, *exinde apud nos lectiones, quas appellant, variantes, nullo habito delectu cumulatæ, ſed cæco impetu chartis illinitæ, queis hodie nonnunquam gravatos, non ornatos, diſtortos & obſcuratos, non elucidatos Codices habemus: quod enim affirmat unus, negat alter, recentioris quandoque, aliquando plane nullius Codicis vetuſti auctoritate ſuffultus, ut in Codice ſimili, loco Corporis decori & venuſti, nil niſi miſere conſarcinati centones ſæpius compareant, & ſic ars critica veritatis & claritatis Mater, nil niſi errores, ſphalmata, & poſtremum ſcepticiſmos pariat.* Omnium horum malorum culpam ſuſtinent obſcura illa veteris ſcripturæ compendia, iisque jam antiquitus multos & in errores & maximam fraudem nonnunquam inductos fuiſſe, haud obſcurum eſt ex Ciceronis epiſtola ad Atticum β): *Et quod,* ait, *ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti: credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Adde varias Iuſtiniani Imp. conſtitutiones, quæ illas, ceu ibi vocantur, ſiglorum captiones & compendioſa ægnimata ex legum Codicibus proſcribunt atque ejiciunt. Vid. *Conſtit. de concept. Digeſt. ad Tribonianum*, §. 13. *Conſtit. ad Anteceſſ.* §. 8. & *Conſtit. ad Senatum & omnes populos*, §. 22. ubi notanter ſancitum eſt: *pœnam falſitatis conſtituimus & adverſus eos, qui in poſterum leges noſtras per ſiglorum obſcuritates auſi fuerint conſcribere.* Fallor, aut huic prohibitioni cauſſam dedit calliditas eorum, qui parum utebantur Siglis notisque uſitatis & ſolennibus, ſed notis plane ignotis, recensque in horum cerebello natis, qui vel errore, (quod quæ ſcriberent non magis callebant, quam doctæ aviculæ cantum ſuum) vel dolo atque malitia, ex quolibet quidlibet eruere & ita turpe lucrum facere cupiebant. Huc refer illam Quinctiliani γ) querelam; *nam ceteræ* (actiones ſcilicet forenſes) *quæ ſub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæſtum notariorum corruptæ, minimam partem mei ha-*

α) in ſupra laudato Chronico, Tomo I, libro I. p. 6.

β) *Epiſt.* libro XIII, 32. p. 468. edit. Io. Georgii Grævii, Amſt. 1684.

γ) *Inſtit. Orator.* libro VII. cap. II. pag. 326. edit Celeb. I. M. Geſneri, Gottingæ 1738.

habent. Culpat hic, ceu recte obſervat Juſtus Lipſius α), non de facultate, ſed de intentione, & quod tantum in quæſtum, non fidem excepiſſent. Sed verum cave credas, illis legum & ſeveritatis ſecuribus ſilvas Abbreviationum cæſas, poſterioresque haud auſos fuiſſe, quid adverſus edictum Sacratiſſimi Principis facere, ut potius prolixe in hoc publicaque commoda peccaverint, ac notas ſæpiuſcule, in quibus nihil erat legitimum, nihil uſpiam ſolemne, finxerint, maximo Jurisprudentiæ & aliarum ſcientiarum damno; ſicuti venuſte demonſtrat præſidium quondam & dulce Themidos Batavæ decus Cornelius van Bynkershœk β), nec non vir Clariſſimus Hermannus Noordkerk γ). Fieri etiam potuit, ut Pſalmorum libri, aliique notis Tironianis exarati δ), quibus ante & poſt Juſtinianum uſi ſunt Chriſtiani, multis erroribus ſequiori ævo anſam dederint; præſertim cum exemplaria hujusmodi notis conſcripta in oſcitantium librariorum manus inciderint.

Quum itaque abbreviataram ſyllabarum incauta lectio maximas, ut ſupra diximus, difficultates adferret, plurimique ſe hiſce laqueis expedire haud poſſent, defuerunt antiquis & novioribus temporibus, qui in id genus nodos labyrintheosque flexus implicitis filum atque auxiliatrices manus præbuerunt. Hos inter eminent ac excellunt Valerius Probus ε), Magno ζ), Petrus Diaconus η), Johannes Buxtorffius ϑ), Bernardus de Montfaucon ι), Nicolai κ), Sertorius Vrſatus λ), & multi alii, quos paſ-

α) *Epiſtolarum ſelectarum centuria I. ad Belgas*, epiſt. 27. *Operum* Tomo II. p. 381. edit. Antverp. 1637.
β) *Obſerv. Iuris Romani*, libro I, 23.
γ) In *Diſquiſitione de Lege Petronia*, p. 29. & 35. ubi pulchre docet, Librariis morem fuiſſe, pro iis, quæ non ſatis capiebant, nota magis ſubſtituere. In primis conf. laudati Viri *Obſervationum Decas*, p. 8. & 9.
δ) Vide ſis Mabillonium *de Re diplom.* lib. I. cap. XI. §. 6. Adde §. 18. d. c. & lib. V. p. 456. ubi Tironianarum notarum ſpecimen alphabetico ordine digeſtum ex Pſalterio Germanenſi exhibet æri inciſum. Conf. omnino laudatus ſupra Nicolai *de Siglis veterum*, cap. III. §. VI. ſeq. *Chronicon Gottwicenſe*, Tomo I. libro I. p. 23. & 24. nec non viri Celeberrimi Ioh. Nicolai Funccii *de ſcriptura veterum Commentatio*, cap. V. §. 10.
ε) Vide ejus libellum *de Notis Romanorum interpretandis*, in Dionyſii Gothofredi *Corpore Auctorum Latinæ linguæ*, p. 1454. ſeq. Exſtat etiam apud Joannem Godeſchalcum Clauſingium, in *Iure Publico Romanorum*, Tomo I. p. 104. ſeq. Lemgoviæ 1726.
ζ) Vide hujus *Notas Iuris*, apud Gothofredum, c. I. pag. 1482. ſeq.
η) In libro *de Notis litterarum more Romano*, apud Gothofredum, p. 1498. ſeq.
ϑ) *De Abbreviaturis Hebraicis*, Franequeræ 1696.
ι) In *Palæographia Græca, ſive de ortu & progreſſu litterarum Græcarum, & de variis omnium ſæculorum ſcriptionis Græcæ generibus: itemque de Abbreviationibus & de notis variarum artium ac diſciplinarum; additis figuris & ſchematibus ad fidem manuſcriptorum Codicum.* Pariſiis 1708.
κ) *De Siglis veterum*, paſſim.
λ) In *Commentario de Notis Romanorum*, in Joannis Georgii Grævii *Theſauro Antiquitatum Romanarum*, Tomo XI. p. 508. Trajecti ad Rhenum & Lugduni Batavorum 1699. Adſcribere juvat magni Grævii judicium ex præfatione laudato Tomo præmiſſa: *Habes*, inquit, *Sertorii Urſati Equitis Patavini de notis Romanorum commentarium ſumme neceſſarium, qui non modo nummos & inſcriptiones priſci ævi, ſed & infinita Romanarum legum & aliorum idoneorum Latinæ linguæ auctorum hujuscemodi notis referta intelligere deſiderant.*

paſſim laudat vir Cl. Baringius α) quibusque ipſe haud exiguam lucem addidit.

Nemo autem eſt, qui majori apparatu, laudabiliori induſtria, & feliciori ſucceſſu hanc operam navavit, quam præſentis Lexici Auctor Doctiſſimus, Ampliſſimus JOANNES LVDOLPHVS WALTHERVS, Sereniſſimi & Potentiſſimi Magnæ Britanniæ Regis in Archivo Electorali a Secretis. Dixit profecto quod res eſt Celeberrimus Eckhardus β): *Præclare de rei diplomaticæ ſtudio mereretur, qui per ſæcula eundo abbreviaturas cujusvis ætatis diplomatibus proprias colligeret, modumque legendi illas oſtenderet. Et ſane dolendum eſt, intercepiſſe nobis fata egregium & utiliſſimum opus de abbreviaturis Germanorum, quod molitus eſt Nic. Staphorſtius.* En tibi, erudite Lector, WALTHERVM non minora votis, ſed longe majora præſtantem, quique, ceu Cl. Baringius γ) prodidit, B. Staphorſtio, Hiſtoriam eccleſiaſticam Hamburgenſem edenti, in deſcribendis Diplomatibus ex primis tabulis, opere & conſilio adfuit, magnamque tunc temporis nominis gloriam in Novellis litterariis adeptus eſt. Nos vero haud decrevimus, in laudes WALTHERI, ejusque inſignem & admirandam artem veteres ſcripturas pingendi, easque ad unguem exprimendi peritiam atque dexteritatem, excurrere: vigilatas noctes huic Operi impenſas enumerare: ærumnabilem moleſtiſſimumque laborem in adornando hocce Lexico adhibitum prolixius prædicare; quum haud opus ſit, hos verbis efferre, quorum virtus ſolidum decus exhibet, quique jam per ora Virûm victores volitant.

Quandoquidem vero, ceu Jureconſultus δ) monet, in foro cauſſas dicentibus nefas eſſe videtur, nulla præfatione facti judici rem exponere, atque origine non repetita, illotisque, uti eſt τὸ λεγόμενον, manibus, protinus materiam tractare; nos operæ etiam pretium facturos eſſe confidimus, nonnulla de præſentis Lexici ratione & inſtituto præfari, quæ, cum ibi veneris, evidentiorem intellectum præſtant.

Obſervant Viri docti, & inter hos Mabillonius ε) nec non Abbas Gottwicenſis ζ), Veteres alia ſcribendi ratione in libris & Codicibus Mſſ.

α) Jn *Clave Diplomatica.*

β) Jn ſupra laudata *Jntroductione in rem diplomaticam*, p. 61.

γ) Jn *Clave Diplomatica*, p. 40.

δ) Gajus in *l.* 1. *ff. de origine Juris.*

ε) *De re diplom.* libro I. cap. XI. p. 50. & libro V. in pr

ζ) Libro II. p. 77. & 89.

Mſſ. alia in Diplomatibus, chartisque uſos eſſe; ſed pariter obſervarunt, utrique ſuas haud exiguas difficultates ineſſe, quæ non ſolum magnam lecturis moleſtiam exhibeant, ſed etiam interdum ad ſummam diſſenſionem inter magnos Viros feneſtram patefaciant.

Ne vero per futura tempora ejusmodi lites traherentur, eruditiſſimus Dominus Auctor de utriusque ſcripturæ abbreviaturis enodandis quam maxime ſolicitus fuit, tantumque abeſt, ut quis tam exactam adhuc omnibusque numeris abſolutam harum ſiglarum enarrationem in dias luminis auras miſerit, ut ne aliis quidem occaſio ſuppeditata fuiſſe videatur, tot *αὐτόγραφα*, chartasque veteres, quas hicce labor innumeras fere efflagitat, manibus verſandi *α*). Nemo hinc eſt æquus rerum æſtimator, qui inſignem uſum exinde in litteratorum rempublicam redundantem non facile perſpiciat. Jta enim antiquos libros & authenticas Tabulas, quas vix e millibus unus ſenſu aſſequitur, facili negotio, niſi mens omnino læva fuerit, intelligere, ac latentes in iisdem theſauros, divitiasque in uſus noſtros vertere poterimus.

Quam multos quantivis pretii Codices & Documenta in archivis Principum, illuſtrium Perſonarum tabulariis ac pluteis, Monaſteriorum bibliothecis & latibulis, nec non Privatorum ſcriniis atque ciſtis, caliginoſa nox premit: quæ, tum, quod diligentius cuſtodiantur, quam aut Gryphibus aurum Jndicum, aut Draconibus Heſperidum mala: tum, quod iſtorum uſus, foliorum Sibyllinorum & hieroglyphicorum inſtar, haud pateat, pulveri blattisque relinquuntur, & vel ſolo ſitu deteruntur. Via autem ſic emunita, exemplisque commonſtrata, Monachi & alii horum talium *κειμηλίων* poſſeſſores, iique, quibuscum eadem ad inſpiciendum communicantur, bona ſæculi noſſe & cognitis, quæſtu longe uberrimo, uti diſcent.

Ad clauſa & faſtidita penetralia jam clavem porrigit præſens Lexicon diplomaticum, quod, tanquam Phidiæ aliquod ſignum, omnium procul dubio eruditorum admirationem merebit, quodque vel eorum, qui ſatis perfunctorie hanc eruditionis partem callent, oculos animosque in ſe convertet.

Con-

α) Candide id ipſum dolet V. Cl. Johannes Heumannus in Præf. ad Commentarios ſuos jam laudatos, ubi ait: *Nonnulli firmiori forſan jure mihi objicient, hujus generis commentarios ex archivis, non ex libris, concinnandos eſſe. Utinam! iſta mihi paterent ſcrinia. Utinam! tabulariorum præfecti literatam gentem ſua ipſorum opera bearent. „Jam vero prope idem mihi, quod aſtronomis quibusdam, evenit, qui leges aſtrorum exponunt, quamquam cœli faciem rarius contemplantur.*

Contentæ in hocce Opere abbreviaturæ prioris Claſſis, de qua ſupra dictum eſt, deſumtæ ſunt tum ex veris ac genuinis autographis Jmperatorum, Regum diplomatibus, Papalibus bullis, proceſſibus Rotæ Romanæ, Reſponſisque juridicis: tum ex Epiſcoporum, Principum, Comitum, Monaſteriorumque chartis, quales in omnibus Europæ regnis fieri conſueverunt: adeoque non unius urbis aut reipublicæ Archivarius hic informatur, ſed is, qui apud omnes gentes moratiores artem ſuam profiteri poſſit, ad res agendas maxime idoneus.

Secundæ Claſſis abbreviaturæ hauſtæ ſunt ex Codicibus tam membranaceis quam chartaceis, & quidem ex theologicis, juridicis, medicis, philoſophicis & aſtronomicis Codicibus, Liturgiis, Miſſalibus, Calendariis, librisque rationum: easque omnes diligentiſſimi Auctoris manus ad primigenia exempla improbo labore deſcripſit, atque earundem veram vim & ſignificationem edocuit.

Quod ad tempus attinet, quo quævis abbreviatura in uſu fuit, utriusque generis exempla, puta Diplomatum & codicum, ex ſæculo VIII. usque ad XVI. collecta ſunt; licet ad hocce tantum abbreviaturæ in Notariorum inſtrumentis obvenientes pertineant, pervulgatis jam reliquis ſcribendi modis, qui paſſim in hujus ſæculi Codicibus MSS. obſervantur.

Ut vero protinus in propatulo eſſet, cuinam tempori hoc vel illud ſcripturæ compendium proprium ſit, ad primæ claſſis abbreviaturas ipſe annus, quo documentum prodiit, adſcriptus eſt: in abbreviaturis vero ſecundæ Claſſis, ſive Codd. MSS. duntaxat ſæculum, in quo Codex ſcriptus eſt, (quando ſcilicet hoc jam vel ipſe Codex, vel ſcriptor ejusdem monuit, vel alia manus antiqua indicavit), exſignatum eſt: adjectis tamen litteris *i. m. f.* ſignificantibus *initium*, *medium* ac *finem*. Et licet in quam plurimis Codicibus ipſe Scriba annum cum die, quo ultima manus operi data eſt, in fine ſubnotavit, attamen (ut liquido conſtaret, quæ abbreviaturæ ex diplomatibus & chartis, quæque ex Codd. MSS. hauſtæ ſint), annus haud adjectus, ſed ſæculum duntaxat, adpoſitis litteris *i. m.* vel *f.* laudatum eſt. Sin vero neque ab ipſius codicis exaratore, neque alia veteri manu, ætas ſcriptionis patefacta eſt, ope artis criticæ eruendum fuit, ad quodnam ſæculum hæc vel illa ſcribendi ἐπιτομή pertineret. Aevum hocce pacto exploratum abbreviaturis (ſed ſine litteris *i. m. f.*) ſubjunxit

junxit ὁ πάνυ WALTHERVS. Dispositio ipsius operis (ceu vel ex prima Tabula conspici potest), ita ordinata est, ut quævis linea in quavis Tabulæ columna quaternas res sistat. I. Figuram abbrevationis ad fidem archetypi accuratissime delineatam. II. Litteras in ipsa figura latentes perspicue expressas. III. Jntegram vocem, quam figura refert, omnibus litteris exaratam, ut vera figuræ significatio in aprico sit. Et IV. Tempus, quod ejusmodi ænigmata sibi speciatim seposuit.

Quæret forsitan eruditus Lector, num omnia ita certa sint, ut nullum dubium supersit, collectas figuras id ipsum innuere, quod Clarissimus Auctor tradidit, earundemque explanationem a Scriptoris antiqui mente haud alienam esse? Scias ergo, caute Lector, vigilantissimum Auctorem hanc sibi perpetuam legem dixisse, ne prius de figura quadam, aut ejusdem abbreviatura, certi quid pronunciaret, nisi eandem plus vice simplici in eodem Diplomate vel Codice invenerit, ipsique ex verborum cohærentia & aliunde constiterit, non alium, præter quem adposuit, figuræ sensum esse. Ex quo simul adparet, hoc Lexicon neutiquam purum putum mechanicum opus esse, quod sola figurarum & vocabulorum delineatione constet; sed potius pro frugifero & quam maxime fructuoso promptuario, cujus pars nulla inculta mansit ac deserta, censendum esse. Quanto autem dispectu, ad verum & genuinum sensum cujusvis figuræ indagandum, opus fuerit, quam ferrea diligentia, sollicitoque πρόσω καὶ ὀπίσω, penes æquum Judicem arbitrium esto.

Quicunque ergo de vera expositarum figurarum significatione dubitabunt, consulant, si commodum est, Diplomata Codicesque MSS. a Sæculo VIII. usque ad XVI. rigidissima ad illos censura præsentes ænigmatum enodationes examinent, habituri deinde profecto, cur litteratissimo WALTHERO non tantum ut magni operis patratori, sed etiam ut desperati laboris victori ex animo gratulentur, qui tam instructam litterarum officinam aperuit, unde sine ullo fere negotio ea depromere licet, quæ confirmandis & illustrandis ab ingenio & cura excogitatis facere possunt. Habenda igitur huic jure meritoque gratia est, per quem, ut Quinctilianus α) ait, labor nobis detractus est.

Haud

α) *Jnstit. Orat.* libro V. cap. 10. segm. 121. p. 233. edit. supra laudatæ.

Haud ſimus ferendi, ſi ſuperbe jactemus, omnes quotquot ſunt, quotque fuerunt abbreviaturarum ſpecies, nulla prætermiſſa, in hocce Lexico occurrere: id tamen ex certa ſcientia profitemur, laudatiſſimum hujus Lexici Auctorem, licet jam opus ad umbilicum perductum eſſet, per multos adhuc annos innumera Diplomata, omnisque generis Codd. MSS. diurna nocturnaque manu eo conſilio verſaviſſe, ut ſpicilegia poſt meſſem inſtitueret; vix tamen in unam alteramve figuram, vel ſcripturæ compendium incidiſſe, quod collectioni ampliſſimæ nondum fuiſſet inſertum. Fidem nobis habebunt, qui noverunt, Auctorem ultra viginti annos perpetuam ac indefeſſam rei diplomaticæ operam navaſſe, nullamque occaſionem abbreviaturas colligendi & interpretandi e manibus amiſiſſe. Ne autem opus nitidiſſimum plus juſto grandius fieret, aliquot chiliades abbreviationum faciliorum, quas nemo non intelligebat, provida WALTHERI diligentia miſſas fecit. Sin vero nihilominus quædam majoris momenti abbreviataræ induſtrio Diplomatum indagatori ſub conſpectum veniant, quas ſicco forſan pede tranſierit Auctor, is cogitet velim, Eleuſinam ſemper ſervare, quod oſtendat reviſentibus, bonoque venatori haud vitio eſſe, ſi inter ſpiſſas opacorum nemorum umbras nonnihil ferarum elabi paſſus ſit.

Seriem abbreviaturarum ordine alphabetico diſpoſitarum excipiunt ſigna, quæ non inflexis litteris, ſed longe aliis figuris expreſſa ſunt, innuentibus tamen ſyllabas & integra veterum librorum & diplomatum vocabula, e. g. particulas *con*, *com*, *contra*, *eſſe*, *eſt*, *&*, *etcetera*, *etiam* &c. Deinde characteres numerorum exhibentur, & notæ ſive ſigna Kalendariorum, interpunctionum, commatum, punctorum, notarum, paragraphorum, aſteriſcorum, citationum marginalium, ponderum & menſurarum, cum locupletiſſimo in hæcce commentario. Siquis autem iniquior planeque rudis hæc parvi faciat, aut contemnenda eſſe crepet, is prius diſcat, ab iſtis ſpecie parvis res magnas haud raro pendere. Non eſt tamen, ut hoc de argumento verba faciam apud doctos viros; cum ne indoctus quidem, cui rite cor ſaliat, illud bona fide negaturus ſit. Quemadmodum enim litteræ ſunt inventæ, ut cuſtodiant voces & tanquam depoſitum reddant legentibus, ita ſæpius contingit, ut eorum, quæ diſtingui debent, conjunctio, contraque eorum, quæ conjungi oportet, temeraria diſtractio, ſenſum orationis vel obſcuriorem reddat, vel plane corrumpat; ut adeoque vix ambigi poſſit, plurimum referre, uno verborum contextu, an diſtincto, quid

eſſe-

efferatur. Varia hanc in rem exempla adtulit Radulphus Fornerius α), quem vide, niſi valde feſtines.

Accedit inſuper huic Lexico res jucundiſſimi argumenti, nimirum *Notæ Muſicæ*, quibus antiqua faciendorum & canendorum modorum ratio commonſtratur, ceu eadem a ſæculo XI. in Eccleſiis obtinuit & primitus ſine lineis, per peculiares tantum characteres ſyllabis & vocibus *Textus* adſcriptos, poſtea vero per quatuor vel quinque lineas, propoſita fuit. Quantum equidem ſcimus, nemo has *Notas*, præter Nicolaum Staphorſtium β) & R. Abbatem Gottwicenſem γ), ſibi excutiendas ſumſit. Cave vero exiſtimes, Viros Clariſſ. hoc, quidquid eſt argumenti, exegiſſe, ut potius primas duntaxat lineas duxiſſe, & intra primordia ſubſtitiſſe, videantur, ditiſſima meſſe WALTHERO noſtro relicta, qui omnes artis ſuaviſſimæ modos numerosque feliciter tradidit, quatenus ſcilicet eadem punctis & lineolis conſtat, quæ vel totam & dimidiatam menſuram, quæ noſtratibus *Tactus* vocatur, denotant, vel characteres, qui duas, tres, pluresve *Notas* ſimul comprehendunt, ſignificant, prout illi genio ſæculi accommodati fuere, addita atque ex hodiernis *Notis Muſicis* facta explicatione. Neque deſiderari paſſus eſt Ampl. Auctor intervalla, amabiles *νόμυς*, quibus canticum temperatur, longiores & breviores curſus unica ſyllaba comprehenſos, iique ſecundum *Notarum* numerum in ordinem redacti ſunt; ut adeoque antiquitatis amantes non poſſint non veterem Μυσικὴν, ejusque compoſitionem facile intelligere atque cognoſcere.

